

qui Filium *αυτολογον* dicerent. Testor saltem Origenem, cui hunc loquendi modum usitatum fuisse, ne ipse quidem Anonymus inficiatur. Neque dubito uulgatiorem hanc lectionem ueram dicere, et genuinam. Etenim inducit hic, quod ex Origene patet, Iudaeum Celsus loquentem, qui ipse profitebatur, *ως ει γε ο λογος εστιν υμιν ο υιος του θεου, η υμεις επαινουμεν*. En Iudaeus Christianis adstipulatur, sicubi *λογον*, siue Verbum, Filium DEI nominarent. Qui ergo Christianos poterat dicere *σοφισζομενους εν τω λεγειν τον υιον του θεου ειναι αυτου* (ut Anonymus emendat) *λογον*. Id erat, quod conciliare Iudaeus haud poterat, esse Filium, et simul etiam *αυτολογον*, cum haec ipsi uox processionem ab alio negare uideretur. Inde igitur *σοφισμασι* opus esse Christianis, homo, quisquis fuit, arbitrabatur. Sed demus, hausisse Celsum illam Christianorum sententiam ex Ioanne, unde fidem facturum nobis est, ad titulum sigillatim illum respectasse. Quasi Ioannes non in ipso Euangelio, et quidem non longe ab initio, *λογον* nominet *μονογενη παρα πατρος*. Ita com. 14. semetipsum cum reliquis *του λογου*, qui caro factus est, gloriam uidisse affirmat, *δοξαν ως μονογενοους παρα πατρος*. Et com. 18 *DEVM* nemini uisum esse commemorat, praeterquam filio, *ο μονογενης*, inquit, *υιος, ο αν εις τον κόλπον του πατρος, εκεινος εξηγησατο*. Id uero dilutum est, quod articulum praepositium, quem nominant, in subsidium uocitet? Anne ignorat, *τα αρθρα* saepe numero *πλεονάζειν, η περισσά τιθέναι*? Quod Tertullianum concernit, ille nusquam discrete profitetur, Euangelistas titulorum esse auctores. Neque id ex uerbis, quae adduximus, ulla adstrui ratione potest. Disputat ille aduersus Marcionem, qui uel nouum aliquod Euangelium supposuerat, uel interpolatum saltim, pro nouo, uenditabat. Hinc merito ab eodem exigit, ut titulum praescribat libro, eiusdemque auctorem prodatur. Ex hoc enim posse facile colligi, quid de eius habendum sit *γνησιότητι*. Quod si enim alterius cuiusdam, quam unius ex quatuor Euangelistis, praescriptum haberet nomen, tum id indicium facere, idemque luculentum, esse illud totum, quantum quantum, supposititium. Non enim plures qua-

tuor